





15

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**EXULCERATIO-**  
**NE VESICÆ** 1724, 20<sup>b</sup>  
*QVAM*  
**PROPITIO NUMINE DIVINO**  
SUB PRAESIDIO  
**DN. FRIDERICI HOFFMANNI**

ORDINIS MEDICI SENIORIS ET h. t.  
DECANI

D. IX. Mart. Anni MDCC XXIV.

**P R O L I C E N T I A**  
H. L. Q. C.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTET  
RESPONDENS

**IO. IMMANUEL ZINCKERNAGEL**

SONDERSHUSO - SCHWARTZBURGICUS MEDICINÆ PRACTICUS  
ET PHYSICUS GREUSSSENSIS.

---

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,  
Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI , Acad. Typ.

CHARACTERIS  
EYCI

CHARACTERIS



*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA.

D E

# EXVL CERATIONE VESICÆ.

## PRO O E M I V M.



Vam frequenter vesicæ mala meden-  
tum curas eludere soleant, immo  
quam saepe in iisdem dignoscendis  
horum iudicia fallant, notius est,  
quam ut pluribus id ostendi neces-  
se sit. Ut ergo alia magis vulgaria,  
quamvis vulgo haud minus in illis  
erretur, nunc prætermittam, ipse calculus quanto inter-  
dum labore in vesica investigari debet? & quoties nihil  
secius peritissimis etiam & perspicacissimis Medicis hæret  
aqua, si quando, quidnam igitur rei subsit pronunciare  
tenentur? Nam ultimum & optimum de cætero auxilia,   
quo ille e latebris suis producitur, catheter, quam saepe  
parum explorantibus prodest? Quid si vero putulenti ali-  
quid e vesica cum urina profluit, quanta Medicorum in

A 2

hoc

hoc plerumque casu dissensio deprehenditur, & quanta adhibenda est cura, ut vera & delitescens nocentis materiae scaturigo detegatur? Audies, qui vesicam exulceratam accusabunt, ubi renum labes subest, & ex his, quicquid insoliti in urina conspicitur, in vesicam defillat: nonnunquam hi ipsi in suspicionem venient, ubi vesica unice se male habet; sape vero utramvis partem nulla iniuria accusaveris, ubi ipsis in alterutram ex his culpa transfertur: quinimmo erit, ubi neutram carundem merito arguere & ex certis indiciis concludere possis, ab aliis visceribus eam materiam ad vesicam amandari. Ipsa hæc vesicæ exulceratio quoties ex aliis notis, magis adhuc fallacibus, frustra conicitur, & quam rursus sape non attenditur? De causis huius vitii, de generationis diversis modis, deque incommodis, quæ post se illud relinquit, nihil dicam. Quam enim hæc omnia parum in scriptis etiam Medicorum adhuc pro merito sint excussa, iis iudicandum relinquam, qui super ea acta medica consuluerunt. Argumento tamen in primis esse potest, quod pro interna exulcerata vesicæ causa unice sere calculum agnoscant auctores, inque huius ipsius generatione, quam rarissime, si omnino in vesica incipi libi persuadent, vesicæ ulcus ne quidem suscipiatur; cum ex hoc potius illum frequentius prodire graves rationes ostendant, ipsumque ex variis admodum caussis, probe distinguendis, primam originem trahere demonstrari queat. Verumque præsenti inaugurali dissertatione evincam, qua simul integrum exulcerationis vesicæ historiam & curationem complector. DEVS annuat cœptis!

## §. I.

In causis morborum, eorum in primis, qui a partis aliqui insigni vitio soventur, investigandis, haud leve ab anatomia practica subsidium peti, non frustra statuitur, & egre-

egregiis speciminiibus adhuc comprobatum est. Magis tamen sapissime hac arte eas in conspectum produci, quæ ægrum iugulaverunt, quam a quibus ab initio morbus fuit productus, dudum prudentes Medici agnoverunt. Frequenter etiam aperto cadavere, multa simul viscera labe affecta conspicuntur, ut ne locum quidem, ubi à principio fuit sedes mali, discernere ab iis, ad quæ ciuius vis progressu temporis serpsit, valeas, tantum abest ut de caussis certi aliquid statui possit, nisi qualem morbus a prima origine usque ad fatalem horam se gesserit, quæque ei sit curatio adhibita, accurate constet. Quam sine hoc necessario lumine parum absque offensionis metu progredi liceat, exempla cadaverum, in quibus vesica exulcerata deprehensa fuit, curatus mihi examinanti, ut caussas huius mali genuinas, alibi non reperiendas, inde enuclearem, colligere satis potui. Vt enim illorum haud exiguis numerus passim reperiatur, præsertim in *Boneti Sepulcreto*; cum tamen præcipuo eo lumine careant, aut saltim eius in plerisque casibus non satis præbeatur ab auctoribus; in tanta phænomenorum multitudine, qua cum exulceratione vesicæ simul observata enarrantur, illa utrum ad morbi caussas pertinuerit, & reliquis originem dederit, an ab his tandem fuerit producta, haud facile semper est affirmare; iis ipsis, qui ægro per totum morbum adsuere, adeo plerumque fluentibus, ut quidnam ergo omnino statuendum sit, facta dissectione non magis quam antea invenisse, patet.

## §. II.

Dispiciam tamen, quæ ex illis observationibus, & aliis tam anatomicis quam practicis de huius affectus caussis cum fundamento aliquo affirmari queant. Ab iis enim mihi sermonis initium erit, insuper iam habita vulgari methodo. Existimo autem perquam multas eas esse posse. Mihi

hi potiores allegasse sufficerit, unde de reliquis coniectura fieri queat. Ordinaria vasorum sanguiferorum ruptio ne. Sanguinem in vasorum extremitatibus disruptis, nec iterum, prout deceat, consolidatis, haerentem, vel tenuorem eius partem per orificia aut ad latera eorumdem destillantem, idoneam ulceri materiam praebere, ex pathologia notum est. Mora enim neque commixta iaviciem probe sanguinis partes, ad corruptionem pronas sunt; corrupta vero tenerrima vascula & fibras aggrediuntur, & unacula iis, nisi corruptio fuerit gravior, in materiam putrefactam vel ulcerosam abeunt.

## §. III.

Ut autem, qua de causa vascula sanguinem vehentia disrumpi interdum in vesica soleant, & ubi potissimum id fiat, intelligatur, earum quae sit cum aliis partibus conexio, & qua ratione in vesicam digerantur, nescendum est. Vrtrumque plenissime & accurate docet magnus *Vesalius*, Anatomiæ felicissimus restaurator, cuius proinde hic verba allegare, non abs re erit. Ita autem ille Lib. 3. anat. cap. 9. p. 475. *interior*, inquit propego (hypogastricam venam describit) ab interiori ipsius latere exiguae fiboles sacri ossis quoque foramibns dispensat, & alias his maiores (haemorrhoidales externæ sunt) in recti intestini musculos cutemque antedigerit, quæ feculentum sanguinem hic expurgant, si quandois per venam cavam huc decumbat eodemque colligatur. Deinceps hec interior propagonotatu dignum diffundit ramum, qui in viris dextrum vesica latus amplectitur, & in plures scissus furculos, vesicæ cervicem seu penem adit, in eumque numerose digeritur, ea semper serie, ut cervici vesicæ crastores amplioresque furculi, quam ipsius fundo exporrigan- tur. In mulieribus vero praesens ramus ab interna ductus propagine, pingui membrana sufficitur, ac quibusdam sur- culis

*culis vesicam, quidem adit, verum frequentioribus inferiorem fundi uterū sedem intercurrit, ramulos quoque siccabiles in uteri cervicem dispergens.* Eandem fere arteriarum venis respondentium structuram tradit cap. 13. p. 492.

## §. IV.

Plures hinc conclusiones, usui nobis futuras, deducere licet: binas vero in præsenti tantummodo adducemus, in progressu dissertationis data occasione reliquas derivaturi. Primo nempe mechanica patet ratio, cur sanguis per vasa haemorrhoidalia externa ad anum delatus, si quando exitum, quem ibi querit, non invenit, ad vesicam ruere debeat, huiusque tenerioribus vasculis aucta mole atque impetu laceratis, cruento mictui ansam præbere possit. Rariorem huius mictus cruenti casum ex hoc fundamento dilucide explicavit *Illustris Dn. Praeses in Medicinæ consultorio Dec. I. p. 44. s. 99.* Deinde cum vasa ista non modo circa cervicem vesicam adeant, sed in eadem hac regione copiosissimos ramulos dimittant; maximum hic quoque ab irruente sanguine fieri impetum, in progressu ramulorum magis magisque frangendum, necesse est, ita ut surculi minores & breviores ab initio in ipsa cervice inde abscedentes, eique vi sustinendæ impares, fatiscant.

## §. V.

Deducit vero nos eadem consideratio statim ad cognitionem alius causæ, unde vesicæ ulcus oriri possit, inflammationem puta. Sanguinera per vasa haemorrhoidalia majori cum impetu in ano appulsum, in huius regione interdum inflammationem, tumorem & denique exulcerationem procreare, multiplici observatione constat. Idem ab eodem sanguine in vesica contingere posse, non est quod dubitemus. Huc enim ob haemorrhoides externas suppressas, illo simili cum impetu delato, qui rumpendis quidem  
vaso-

vasorum tunieis non magisquam in ano pat sit, distendens vero tenerimis surculis sufficiat; sequitur, ut portio eiusdem vi impulsa, in his ad contrahendum se se rursus incepitis redditis, subsistat, ac inflammationem pariat, unde postea, nisi peius quid accidit, lethalis nempe corruptio vel cancer, apostema, & hoc denique rupto, ulcus exoritur.

## §. VI.

Vnicam inflammationis vesicæ allegavi caussam, a suppresso sanguine hæmorrhoidalı derivatam, plures in sequentibus in scenam producturus. Cum vero antea ex vasorum in vesicam distributorum structura ostenderim, cur circa huius potissimum cervicem illorum laceratio accidere debeat, ac simili modo argumentari liceat, inflammations & tumores eandem præcipue regionem occupare; utrumque à posteriori quoque probandum erit. Satis autem evidenter illud evincunt symptomata, qua in utroque casu animadvertuntur, quorum vel ideo etiam hoc loco mentio iniicienda est, ut, si quando puris excretionem ea præcesserint, certum de huius fonte iudicium ferri possit. Mictus cruentia vesicæ vasis ruptis orti symptomata accurate recenset *Illustris Dn. Praeses Obs. cit.* suntque ea: perpetuus ad mingendum conatus, cum ani ardore & tenesmo, dolor urens, pungens, secans in regione pubis & perinæ, maxime in dextro latere, usque ad penis glandem se extendens, cum huius rigida tensione, alvus dura & intestinorum spasimus, nullo in renum regione notabili dolore præsente: cuncta, ut ego quidem arbitror, manifesta læsa cervicis indicia. Haud valde diversa sunt, qua inflammationi accidere observantur, notata à *Boneto in Sepulcr. L. III. p. 590.* Et *Etimultero in Colleg. præf. Cap. de Vesicæ inflamm.* nisi quod modo recensitis accidunt febris, vigilia, delirium, fitis & alia. Scilicet ob sanguinem continuo huc appellentem, nec exire valen-

valentem, & inde concitatum vehementer spasmus, atrocissimic omnia, quam sanguine profluente, seviunt & partes reliquæ corporis in consensu trahuntur.

## §. VII.

Eandem rem confirmant observationes in dissectis post mortem corporibus institute, quæ vel ipsum umeus, præsertim vesica a calculo libera, vel tumorem & inflammationem, vel aliud quoddam vitium, præcedentis vel rupitionis vel inflammationis indicium, vel saltim ab eademi progeniture causa, unde hæc oriri solent, in cervicis regione hærens visu obtulerunt. Et ulcus quidem ipsum in eo casu, de quo diximus, hic frequentissime reperi re collatione exemplorum constat ut singularia allagare non opus esse existimem. Exemplum inflammationis & ulceris exhibit *Bonetus L. c. p. 627. §. 2. Lib. III. abscessus p. 642.* §. 3. tuberculorum binorum utrinque orificio appositorum cum inferiori vesica parte gangrenosa p. 633. §. 9. carunculae & callosæ substantiæ. ib. §. 10. scirrhi p. 628. §. 8. calli p. 632. §. 3. carnis spongiosæ ibidem reperta observationes minime raras esse scribit *Riolanus Anthropol. lib. II. cap. 28.* Egregie vero hoc facit notabilis casus, ubi venæ cervicis sanguine admodum distentæ & varicosæ in mortui cadavere, qui ante obitum stranguria, dysuria & aliis symptomatibus, a calculo communiter excitari solitus, vexatus fuerat, in conspectum prodierunt, Vid. *Bonetum p. 673. Obs. 22.* cui adiungendus, quem p. 664. adducit, ubi æger eadem ferme symptomata passus post mortem apertus vesicæ & recti intestini phlegmonem cum verus hæmorrhoidalibus sanguine nigro infarctus & penis livore, de cætero organis excretioni urinæ dicatis recte lese habentibus, ostendit. Sine dubio autem horum omnium longe plura exempla sectiones suppeditarent, præcipue ulceris,

ceris, si hoc ægrum mox semper trucidaret, neque variis  
ante phœnomenis aliis ansam praberet.

## §. VIII

Quamvis autem inflammationes in partibus membranaceis obortæ proniores ad sphacelum esse, communissime observari soleant; cum tamen id non sit perpetuum, & eas in nostro casu collum vesicæ, carnosam magis partem, potissimum occupare ostenderim, de generatione ulceris ex hac causa dubium superesse nequit. Idem sentit Ettmullerus in Colleg. pract. Inflammatio & abscessus, is inquit, que sunt circa collum vesice interdum suppurantur, & in pus mutantur, succeditque exinde vesicæ curatio difficultima.

## §. IX.

Cum inflammatione vesicæ spasmus esse coniunctum supra (§. 6.) dixi. Sed interdum hic ipse ab alia causa excitatus inflammationi velificare & deinceps ulceri materiam subministrare solet. Parte enim quadam spasmus diutius ac vehementius affecta, sanguis teneriora eius vascula libere permeare nequit, unde reliqua, quemadmodum §. 5. exposui, subsequuntur. Quamvero spasmodicis constrictionebus opportuna sit vesica, ex copia nervulorum, quos ossis sacri medulla & pars sextum a capite derivatorum nervorum illi largiuntur, coniecti potest; licet omnes membranaceæ partes, qualis hæc est, natura sua præ aliis ad spasmos sint proclives. Cumque præterea ab eodem sexto nervorum pari plurimæ partes ramulos accipiant, quam frequenter aliena vitia luere vesica debeat, in promptu est coniecturam facere. Levius tamen plerumque afficitur, quam ut temper magnam inde labem contrahat. Maximus a ventriculo, intestinis & renibus metus, cum quibus ei partibus singularis ad damna sibi mutuo inferenda

inter-

## ¶ (o) ¶

## II

intercedit consensus. Vnde ventriculo flatibus distento, in passione hypochondriaca, colica, iliaca, nephritide, tensione graviori & diuturniori, & quotiescumque abdominis viscera motibus hæmorhoidalibus vehementioribus agitantur, nunquam omnis affectionis expers censri debet.

## §. X.

Sed alia adhuc ratione vesicæ infesti sunt renes. Interdum enim ex his purulenta & viscida materia, interdum calculi per ureteres in vesicam delabuntur. In utroque casu, nisi peregrinus hospes tempestive foras eiciatur, varia fontica mala, & in his ulcus maxime, cire valet. Quodsi enim tenacior & actior materia est, parietibus vesicæ, in primis circa collum adhaeret & stranguriam, dysuriā, tenesimū inflammationemque excitat, vel membranas vesicæ clandestine ac lente magis erodit, atque ita hanc exulceratam reddit. Si vero aliarum caussarum accessione in calculum illa tandem transformata fuit, vel is iam factus in renibus ad vesicam migravit, aspredine sua vel pondere hanc continuo lacescit, eademque mala, quæ modo recensuimus, producit. Et in posteriori casu fundum quoque vesicæ & latera, præsertim ubi calculus fuerit grandior, exulcerati posse, nullum est dubium.

## §. XI.

Forte nemo à me hic requiret, ut modo dicta observationibus confirmem. Passim enim hæ apud scriptores praticos sunt obvia, ut inter rariores adeo fortasse causas referenda sint exempla eorum, qui per longum tempus renes vel calculos vel purulentos gestaverint, in quorum caderibus dissectis vesica non simul exulcerata & lapillis obsessa comparuerit, ac qui olim, dum vita superesset, nunquam de iis supra allegatis symptomatis sint conqueri. Videri tamen in primis possunt Schenckius & Bonetus. Magis

nihil memorabilis videtur casus ab Henr. ab Her. Obs. Med. cap. I. adductus, ubi calculus e renibus provulatus & sub finem ureteris moratus puris in hac regione generationi occasionem præbuit.

## §. XII.

Interdum vesicæ collum irritant tenduntve ac spasmo affligunt, hoc est, stranguriam vel dysuriam parunt, diversæ ab iis, quas haec tenus memoravi causæ, e. g. sanguis ob abundantiam in toto corpore, vel ob retrocessionem sub frigore externo ad partes interiores, & hinc ad vesicæ quoque collum copiosius delatus; materia salina, tartarea, acria, vel cum eodem sanguine illa infecto ad collum vesicæ, vel cum urina in huius cavitatem amandata. Atque haec sunt vulgares sere horum pathematum causæ, sapissime non nisi brevi molestia notabiles, & cito dispellendæ, quæ vero neglectæ, aut aliunde validiores redditæ, inter ulceris vesicæ causas quoque interdum locum sibi vendicare possunt. Hinc est, quod in scorbuticis e. g. haud infreuenter stranguria, dyuria, & alia symptomata obseruentur, quæ incautos calculi nonnunquam metu ita terrere solent, ut non nisi post mortem ægri vanum eum fuisse, instituto examine, convinci possint:

## §. XIII.

Collo vesicæ binæ glandulæ apponuntur, prostatarum nomine inclitæ, & dum vel nimio humore distenduntur ac relaxantur, vel corruptum hunc venereis inquinamentis sovent, gonorrhœæ sedes. Quando is siue benignus siue malignus fuerit, diutius in hoc hospitio commoratur, mora indies deterius redditus, ulcera nunc leviora, nunc graviora, & inflammations in parte affecta parere, & si horum quoque vitiorum curatio perverse peragatur, simili la-  
be alias sape partes, in primis proxime adiacentes, afficere obser-

observatur. Hac ratione gonorrhœam ulceris in vesica causam tandem fieri, confirmat *Bonetus Obs. 4. Sct. 31. L. 3. p. 26.* sicut ex hoc vesica ulcere interdum contraria ratione gonorrhœam oriri statim subsequentे observatione docet, in prioris quoque confirmationem in primis adduci meretur easus ab *Excellentissimo Dn. Praeside in Med. Consalt. Part. III. p. 103.* adductus, ubi post gonorrhœam imperite, maxime adstringentibus, tractatam, exulcerationem renis dextri, colli vesicæ & circa prostatas ortam esse ex indubiosis signis Vir Celeberrimus arguit.

## §. XIV.

Supra (§. 3. 4. 5.) ubi de haemorrhagia & inflammatio-  
nis vesicæ ab haemorrhoidibus externis suppressis ortu egi,  
sexus virilis potissimum rationem habui. In feminis vero  
haec aliter se habere, ex descriptione vasorum, quam e Ve-  
salio adduxi, facile coniicitur. Etenim in iis vesicæ cum  
intestino recto neque situ, neque per vasorum connexionem,  
is est consensus, qui in masculis; sed iti illis uterum inter-  
poni notum est, ita, maxima ramulorum ab haemorrhoidalibus  
externis copia ad hunc delata, huic quoque, quicquid  
malorum haemorrhoides externæ cohibitæ producere in hoc  
sexu forte queunt, ut communicetur, necesse est.

## §. XV.

Inter caussas ulceris vesicæ antea (§. 9.) purulentam  
quoque materiam ex renibus in vesicam effusam retuli: mo-  
nui autem iam in proemio, aliunde interdum eam profi-  
cisci, licet postremo e renibus forte in vesicam eadem destil-  
let. Luculentum huius rei exemplum affert *Hallerius in  
Comment. ad Aphor. Hippocr. 75. Sct. 4.* quod huc apponere  
non abs re erit. Mulier per quatuor menses integros min-  
ixerat pus, & aliquando sanguinem puri commixtum. Me-  
dici consulti adhibent remedia, ac si renes exulcerati fuissent,

sent, quod in eis per intervalla magnum dolorem sentiret mulier. Hæc moritur mense quarto. Dissecta est, inventi renes integri & vesica integra, at in corde inventi duo sunt calculi & abscessus multi, qui expurgabant per urinas, neque in transitu pus dolorem infligebat renibus. Et apud Bonet. L. III. p. 696. historia legitur de virgine, quæ ante obitum urinas valde purulentas reddiderat, ac in cuius tandem mesenterio post mortem ingens puris copia visa fuit, renibus integris. Idem nonnunquam post abscessus in hepate, pulmonibus, cerebro, aliisque partibus ruptos fieri, cerebra exempla testantur, & in adiecta l.c. nota confirmatur.

## §. XVI.

In vias, quibus ad vesicam vel ad renes pus in hisce casibus feratur, iam inquirere non patitur instituti meiratio: sufficit mihi rei veritatem exemplis confirmasse. Si quis vero verum illud pus esse, negare vellet, quod ab urina difficile admodum ad fundum matula secedere soleat, secus ac verum pus, sicuti *Martianus* hoc dubium movet, huic responsio in Boneto ad Obs. 13. p. 691. adducta abunde, mea quidem sententia, satisfaciet: quamvis ad meum scopum huius controversiæ rationes parum pertineant, qui id saltim nunc spesto, ut novam hinc generationis ulceris in vesica caussam deducam, cui, siue verum id pus sit, siue secus res habeat, modo non debite excernatur statim, occasionem subministrare posse, ex (§. IO.) adductis facile intelligitur.

## §. XVII.

Potest vero interdum accidere, ut eà materia, de qua modo dixi in substantiam vesicæruat, eumque ibi affectum producat, cuius apud Hippocratem sub scabiei vesicæ nomine mentio fit. Nescio autem quibusdam hæc huius mali genesis excogitata a me videri queat, quibus tamen ratio-

rationes allegabo, quæ, ut eam ita suspicarer fieri me induxerunt, liberum iis postea iudicium relicturus. Primo non infrequentes sunt in praxi medica circa criticos febrium dies eiusmodi metastases; materiamque noxiā sapissime ad inferiores partes ferri, ibique abscessus & ulcera efficer, notum est, ratione quoque huius phœnomeni non obscura; illa enim sanguine specificè gravior, & ad promptam debitamque circulationem inepta, per arterias descendere quam ascendere facilius potest. Secundo, cum eandem post factam in multarum partium morbis coctionem, interdum in vesicæ cavitatem deferri ex observationibus modo allegatis constet, cur non idem de huius substantia suspicari liceat, itineribus, quibus huc sine ambagibus materia pergit cum sanguine, obviis & facillimis, aorta nempe descendente, & hypogastricis arteriis, & hinc denique in vesicæ arterias rectissima & fere ad perpendiculum via, nisi quod deinceps in hac ipsa vario modo versus superiora inflectantur, eo consilio, ut hic fracto impetu heterogenea materia, sanguini adhuc intimius permixta, huc illuc in substantiam vesicæ deferri atque secedere possit. Hanc tamen scabieam interdum aliis adhuc modis fieri, facile persuaderi mihi patias.

## §. XVIII.

Longum, nec in promptu facile esset, omnes eas causas enumerare, quæ intra corpus producta vesicæ ulceri originem dare queunt, cum illa satis in obscuro nonnumquam lateant, nec nisi sectione facta Medicorum contemplationi, ac forte ne sic quidem semper, se fiant. Unde eas in apricum producendas relinquō, quibus hæc examina in morbis defunctorum corporibus frequentius instituerelicet. Produxī plures, & hoc satis erit ad præsentem scopum, fortassis etiam plurimis nimium videbitur. Sed hi erunt

erunt fere, qui, postquam sibi generale aliquod sistema de morborum generatione finixerunt, ex eo usice caussas derivandas existimant, iis omnibus arroganter reiectis, quæ pulchritudini systematis sui officere queant, vel eius plane vanitatem arguant. Sed his, quibus solis libertas concessa est, de morborum historiis pro arbitrio disponendi, & pro veris falsis declarandi, quæ sibi favere vel aduersa esse cognoverunt, scilicet suo abundare, aut carere potius, per me licet. Mihi vel ideo conquirenda ex solicitius videbantur, ut ostenderem, quam parum fidendum sit eorum assertis, qui vix ab alia interna caussa, quam a calculo in vesica latente, ulcus in ea produci posse statuunt.

## §. XIX.

Quamvis vero contrarium tum rationibus, tum observationibus in medium productis, evidenter a me ostensum fit; quarundam tamen adhuc aliarum caussarum, uade ulcus illud proficisci interdum soleat, paucissimis tamen, mentionem faciam. Referri itaque huc possunt inflammatio intestini recti vel eiusdem ulcus, eadem coli vitia, partium omnium interiorum abdominis abscessus, ex quibus versus exteriorem superficiem ruptis, pus in abdominis cavitatem effusum, versus vesicam tandem progreditur; corruptio in primis omenti longius protensi, sanguis quacunque de caussa in abdomen effusus, aqua in hydrope ad vesicam libere ruens, inflammatio & ulcus uteri, maxime eiusdem cervicis, vasorum seminalium corruptio, & alia, quorum omnium exempla apud Bonetum passim occurunt.

## §. XX.

Venio nunc ad caussas externas, a quibus vesica exulceratio provenire possit, in quarum tamen enumeratione breviori mihi esse licebit, quod earum in quolibet casu recessio magis ab ægro expectanda sit, quam a Medico de-

mon-

monstratio exigi queat; quamvis interdum cūratius ab hoc illæ investigandæ sint. Pertinent vero huc contusio-nes & ictus graviores in pubis & perinæ regionibus; se-ctio calculi imprudenter instituta, in qua vel a cultri inepti-ori administratione, vel a calculo, præsertim maioris & asperi extractione rudiore, parietes vesicæ larduntur; vul-neris a sectione facti curatio perverse instituta; cathe-ter ad explorandum calculus, vel in urinæ suppressione, vel alia de caussa incuriosius intrusus, præsertim sphin-chter vesicæ arctius constricto, aut a tumore, caruncula, scirro, vel alio vitio via pæcluæ; fistula in ano exsectio, in qua ani sphincter, recte cum vesicæ collo connexus, incau-te nimis vulneratus, aut eiusdem vulnus negligentius habitum fuit. In feminis huc referri debet partus difficilis, in quo vesicam, & huius in primis collum ita sēpe premi affici-que, ut exinde ulcus & fistula proveniant, *Mauriceau aph.* 285. *e* confirmat: quem tamen casum si quis forte inter caus-fas internas recensendum potius fuisse putet, cum hoc de nomine discepcionem non instituam. Cæterum hic no-tari meretur peculiaris cantharidum malignitas, qua vesicæ infesti sunt. Eas enim sive intra corpus assuntas, sive externe tantummodo applicatas, inflammationem & ulcerationem in vesica interdum cicer, satis observationibus constat, quorum exempla exhibentur in *M. N. C. Dec. I. A. II.* Obs. 105. & A. IX. Obs. 88. Potum denique frigidæ post sec-tionem calculi aut lethali gangrenæ, aut fistuloso ulceri occasionem præbere, affirmat *Ermillerus in Colleg. pædi.* i. e.

## §. XXI.

Quæ de corporibus, in quibus ulceris vesicalis gene-ratione expeditior esse soleat, in considerationem venire queunt, corum pars ex hac tenus dictis facile intelligitur.

C

Sunt

Sunt vero quædam huc spectantia mihi nondum memorata vel pleniorem expositionem exposcent. Quamvis igitur nulla ætas & nullus sexus ab hoc vitio plane immunis censeri debet; id tamen frequentius in virili quam in feminino sexu observatur, cuius ratio e §. 14. quodammodo peti potest. Et observantur certe feminæ haemorrhoidibus tam internis quam externis minus quam viri obnoxiae, nisi quod circa graviditatis finem eccez interdum conspiciantur, post parvum tamen mox retrocessura; & si qua omnino ab haemorrhoidibus in feminis quoconque tempore turbatio contingit, ad uterum præcipue malum derivatur, in huius excretione solenni simul eiiciendum. Deinde venenis nimis frequens exercitium & equitatio eos viros, qui in utroque occupari amant, magis dispositos ad huius labis generationem reddere valent, dum in utroque calu sanguis impetuofius versus vesicam ruit, in priori etiam ob vesicularum seminalium viciniam ea vehementius irritatur. Ex utroque vero sexu opportuniiores huic malo sunt, qui acida nimis intemperanter ingurgunt, vina, liquores fœculentos & flatibus gignendis idoneos & diuretica calidiora præter modum in usum trahunt, vitæ sedentariae pertinacius dediti sunt, & denique qui parentibus haemorrhoidariis, calculosis aut quibuscumque vesicæ viuis vexatis ortum debent.

## §. XXII.

In primis vero porro notatu dignum est, quod idem vitium senilia frequentissime corpora occupare soleat, cuius mihi phenomeni ratio, parum vulgo perspecta, nunc evicenter explicanda est, ut ea quæ d. incepit de calculi generatione dicturus sum eo minus dubitationis habeant. Sanguinem ergo particulis acribus, salinis, tarpareis refertum, & ad vesicam quacunque de caussa copiosius dela-

tum

tum, ulceri materiam suppeditare posse, (§. 12.) ostensum fuit. Talem vero eum in senibus fere generari, scorbutus, arthritis, podagra, theumatisinus, & similes affectus, proiectiori etati familiares, immo ipse senuum urinæ manifesto arguunt. Vnde quoque accidit, ut frequentius dysuria, stranguria atque ischuria iidem vexati observentur.

## §. XXIII.

In primam huius dispositionis originem nemo ha-  
ctenus sollicite inquisivit, aut quod quidem valde ad rem  
faciat, ad eam explicandam attulit. Rem clare & natu-  
rali via deducit *Illiustr. Dn. Preses*, cuius proinde hic de ea  
sententiam exhibere, maxime e re erit. Ita vero cele-  
berrimus vir rationes subducit: cum vergente etate fi-  
brae corporis omnes sensim rigidiores & compactiores  
reddantur, testante id in animalibus annosiorum carne,  
difficulter ad nodum coctioni obsequente, eaque de causa  
colatoriorum, quorum infinita olim multitudo humoribus  
se & excernendis inferiueret, magis magisque imminua-  
tur numerus; proxime sequi, ut partium inutilium, a san-  
guine certe separandarum, nimia nunc copia huic admix-  
ta remaneat, qua maiorem dein ipsa circulatione acrimo-  
niam acquirat. Ipsum iam ventriculum, priori robore  
amisso, cibos lentius & minus debito subigere; hinc aco-  
ris, praesertim post cibos potusve acidos assuntos, in ven-  
triculis senuum, multis se prodentis indiciis, originem,  
hinc ipsarum acidarum particularum copiam maiorem  
sanguini sese iungentem, minorem vero earum, quam  
antea, ob curis spiraculorum magnitudinem & numerum  
diminutos cum sudore effluxum. Ipsos renes materiam ter-  
restriorem & tartaream non iam amplius in debita quanti-  
tate segregare. Iam bilis minus, quam par sit in hepatे  
fecerni, & omni se- & excretionis negotium mirum quan-

tum lentius procedere. Deficere postremo priorem seminis generationem & parcus id sequestrari, hocque ipsam iam acre, iam inefficax esse, ut non modo sanguini eum, quem olim, communicare porro vigorem non valeat, sed huius potius impuritatem adaugeat. Enfontem malorum, quæ senibus ultimam tandem perniciem minantur, uberrimum, quæcumque si attendere velis, ipsa tibi natura monstrat!

*ad organum expositio* §. XXIV.

Sequitur, ut notas, quibus innotescere exulceratio vesicæ, & a renum inprimis exulceratione distingui queat, quanta id fieri licet diligentia, tradam. Potiores iam apud Hippocratem recensitæ reperiuntur, cuius ergo in iis explicandis in primis auctoritate utar. Primum quidem horum ab ipso Aph. 75. Secl. IV. adductum ambiguum est, verba ita habent: *si quis sanguinem aut pus mingat, renum aut vesice exulcerationem significat.* Et de pure etiam aliud dubium movet Hollerius loco §. 15. citato, ansam ab historia ibidem allegata arripiens, cuius ratio & solutio ex ibidem dictis perspicitur. Cruenta vero mictio interdum sine alterutrius partis ulcere vel presente vel subsecuturo obtingit, sanguine scilicet post violentiorem corporis motum aut in sebris quibusdam per arteriolarum extrema in renum tubulos secretorios irruente: qualis tamen fluxus sine renum exulceratione durare diu nequit. Ceterum non incongruum erit notas hic apponere, quibus purulentam materiam in vesica genitam ab ea, quæ in renibus facta est, distinxit Riverius Prax. L. 14. cap. 51. *Pus a renibus, inquit, procedens melius coctum est, album scilicet leve & minime fetidum, quia parenchyma renum carnosum melius concoquit: tum pus copiosius est, ac urinæ magis permixtum, que lati similis perfunditur, donec longe post mictiorem pus ab ea separetur, & in fundo residat: a vesica ve-*

ro

ro emanans purulenta materia paucā est , neque adeo concocta , sed cruda , variegata , gravolens : pars enim confinis & debili calore praedita materiam sufficienter elaborare nequit : ex collo autem vesicæ , aut meatu urinario sincerum pus absque urina sepe excernitur .

## §. XXV.

Magis distincta signa ab Hippocrate in sequentibus adducuntur , nempe (2) stranguria V. aph. 80. cui iungi debet dysuria , licet hæc quoque , purulenta materia e renibus delata , adesse posse , (§. 9.) ostenderim , & Celsus lib. II. cap. 7. inter renum affectorum notas ea ponat . Recte tamen monet Riverius l. c. in vesicæ ulcere perpetuum adesse dysuriam & continuum doloris sensum , cervicem infestantis , in renum vero exulceratione dilucida dysuria & doloris intervalla . (3) Dolor in hypogastrio aph. eod. ac pectine , aph. 39. Sect. 7. quod signum præcipue de vesica affecta testatur , & cui iungi debent tenesinus & membra virilis tensio . In renum vero exulceratione tenuis se ista habent . Dolor enim lumborum magis regionem occupat , & adsumt interdum ructus & vomitus biliosi . Vid. Cels. l. c. (4) Gravis urinæ odor , aph. 81. Sect. 4. de quo Riverii sententiam §. antec. iam adduximus . Hunc tamen Celsus l. c. renum affectorum notis annulerat , in quo vero casu rarius is observatur . (5) Squamæ urinæ admixtae , eod. aph. & in vesicæ scabie urinæ crassæ , cum qua furfuracea siam minguntur , aph. 77. Inter renum vero exulceratorum signa resert carunculas parvas & veluti pilos cum urina exountes . aph. 76. Cæterum , quæ a Cels. l. c. præter iam recensita ad distinctionem utriusque affectus proponuntur , vix perpetua , & utrique fere communia esse obseruantur .

## C 3

## §. XXVI.

Dicendum nunc de mali huius conjectariis est, & quid sperare vel timere aeger, ulcere in vesica harente, possit. Difficilem vero admodum istud habere sanationem, & plerumque omnem in eo curando operam oleumque perdi, unanimi fere consensu Medici affirmant. Ratio in promtu est. Membranacea pars est; parietibus eius continuo allabitur urina, praesertim cervici; unde quicquid carnosior haec pars melioris spei promittere videri possit, perpetua id irrigatione atque irritatione motuque eius vanum rursus redditur. Dari tamen interdum sanationi locum, calli in dissecta vesica toties reperti. (Vid. Bonetus passim) & exempla ex hoc ulcere curatorum, evidenter probant. Et posse purulenta materia in vesica eruptionem salutariter etiam evenire, Hippocratis iam observatio est in Coac. Pranot. Ita enim, Vesice inquit, dura & dolentes omnino quidem malae sunt, pestilice vero cum febre continua. Nam dolores ab ipsis vesicis ad occidendum sufficient, & alii his non valde egerunt. Solvit autem hos urina purulenta prodiens, albam ac levam subsidentiam habens. His vero non solutis, neque vesica mollescente, in primis circuitibus aegrum moriturum esse, timor est. Vtunque sit, rarior perfecta huius ulceris sanatio censeri debet. Principia in senibus difficultas, & ubi a calculo maiore vel humore acri, viscido, magna vesica portio exesa est. Raro tamen etiam cito mors subsequitur, nisi febris vehementior adsit, vel inflammatio accedat, aut in alias corruptionem graviorem ulcus subito degeneret. Sæpiissime variis antea aliis phenomenis idem occasionem præbet. Neque enim est dubium, quin scirri, steatomata, cancri & alia huius generis mala, quæ in vesica post mortem saepe reperiuntur, talem plerumque originem habuerint. Sed de his, notioribus quippe ulceris vesicæ

se-

sequelis, plura commemorare non necesse est. Propero ad alia phœnonema, qua vulgo inter huius mali effectus vix agnoscuntur, & proinde paulo curiosiorem inquisitionem requirunt.

## §. XXVII.

Atque hic in primis nominandus mihi venit calculus vesicæ, de cuius prima origine tam inter se dissentient autores. Evidem *Fernelius*, vir magni in medicina nominis, prima eius rudimenta in vesica provenire prorsus negat, temperque illa a renibus huc deferri statuit, *Pathol. L. VI. c. 13.* Alii quanquam prius in dubium plane vocare non ausint, ratiōnē tamen generandi initium in vesica fieri contendunt, nec nisi in infantibus & pueris. Ad ipsam veram huius calculi, vesicæ indigenæ, compositionem haud aliam fere materiam asserunt, quam arenulas, aut terrestrem illam & crassam, utramque iversus e renibus cum urina hue missam. Quarum opinionum epitomen exhibet *Silvaticus Cent. III. Consil. 66.* Sed supervacaneus sapere labor est, pace id secus sentientium dicere licet! aliunde ea semina conquerere velle, quæ ab ipsa frequenter vesica satis large suppeditantur. Vt ergo illa ex crassioribus particulis, urinæ permixtis, calculi generatio in pueris infantibusque forte plerumque locum habere, concedi potest, neque eorum, qui senum vesicas infestant, prima fundamenta e renibus advehi contra manifestam experientiam prorsus negaverim; ita in his vesicæ ulcera primam sapere, si non sapissime, originem præbere calculo ex sequentibus observationibus haud frustra argui existimo.

## §. XXVIII.

Evidem immo ipsum pus quam aptam calculo generando materiam præbeat, lapillorum in pulmonibus phthisicorum, & aliarum partium abscessibus post mortem reper-

pertorum exempla abunde confirmant. Enimvero in tenaci iam & viscosa materia non alia re opus est, quam ut humiditas, quæ perfectam haetenus cohaesionem impedit, caloris accessione dissipetur. Quodsi vero alia salina, tartarea vel terrestris, quales in vesica semper praestō sunt, accedat, effectus eo promptius sequitur. Ipsa (2) calculi in renibus generatio egregie mihi hanc sententiam confirmare videtur, quem non ex aliis frequentius quam modo recensisit causis, provenire, luculentissime demonstratur in Diff. sub Exc. Un. Presidis tutela habita, & observationes ac cautiones practicas in curatione calculi exhibente. (3) Proprius hoc spectant, quæ ibidem §. 8. adducuntur, sequentia verba: non semel, sed iterum sepiusque observatum est, veterem gonorrhœam in midionem purulenta (4) in calculosam vesicæ dissolutionem transisse, eo quod ob vicinitatem vesice substantia, disperso fermento ulceroso, in consensu trahatur. Neque unquam facile grandis in vesica calculus prospicit, salva ac integra eius substantia, cum plerumque ea erosa atque exulcerata observetur. (4) Interdum sola in senibus vesica lapillos offert, renibus integris, & a caleculo liberis. (5) Generationem calculi haud raro praecedit mictus cruentus, mox subsequente purulentæ materiæ excretione, idque nonnunquam cum vesicæ affectæ notis manifestis, ac sine illo lumborum dolore alijsve rerum affectorum notis. (6) Maxime tamen hic attentionem meriti videtur insignis illa haemorrhoidarum externarum, præcipue olim fluentium, & nunc suppressarum, cum mictu cruento & calculo conspiratio. Quam enim ex haemorrhoidibus turbatis vel suppressis mictus cruentus & ulcus vesicæ proinde deriventur, supra a me demonstratum fuit, & dubito, an quis tam expeditam ulceris in renibus exinde generationem ostendere queat.

§.XXIX.

Sed uti ista calculum e vesicæ ulcere progigni posse, dubitare non sinunt: ita sine adventu peregrini semenis eius generationem hic omnino interdum fieri, luculentissimo argumento mihi videntur esse calculi in ipsa vesicæ substantia reperti, quorum exempla evidenter habent *Cattierius Obs. 3. Bauhin. Theatr. Anat. Lib. I. cap. 26. Bonet. L. III. p. 656. §. 18. Tulpus Obs. L. IV. cap. 36. alia, utpote obscurius descripta, & proinde nonnihil dubitationis relinquientia in praesenti non allegabo.* Qui vero in his casibus per ureteres et renibus calculos intra vesicæ membranas delapsos suisse affirmant, & proinde illos in cavitatem vesicæ hiare negant, parum certe eorum insertionem attenderunt, cum extremitates suas satis conspicue ultra interiorem vesicæ membranam in huius cavitatem exporrigerentur. Eandem quoque rem confirmare existimо calculos, qui vera membrana, hoc est, ex fibris contexta, inclusi intra vesicæ cavitatem delituisse leguntur, sive illi hic ab omni vinculo liberi fuerint, sive vesicæ tunicis arcilius alligati. Vid. in primis *Tulpus Obs. lib. III. cap. 5. Verzschla Obs. med. 52.* Vnde enim & qua via hos calculos, praesertim maiores, si eorum in vesicæ generationem negas, huc allatos dices, aut unde tandem istud membranaceum integumentum, seu minores adhuc, seu adulti eo migraverunt, derivabis? Nec dubito huc denique referre exempla eorum calculorum qui in sinibus ad latera vesicæ efformatis eeu in sacculo reconditi passim observati memorantur. *Vid. Tulp. Lib. IV. cap. 48. Bonet. Lib. III. p. 592. §. 4.* Ut enim nunc de variis hisce casibus summatim sententiam meam dicam, antea allegatis rationibus adductus, suspicor, materiam purulentam, accessione praesertim particularum salinarum & tartararum, tenaciorem redditam, ut

D

pro-

profluere liberius non possit, intra vesicæ interdum substantiam sensim in calculum transformari ac novæ subinde materiae accessione in maius volumen ex crescētē parietes simul, quibus coērctetur, paulatim extendere & ampliores reddere, ut cum his quasi innatus vel annatus vesicæ scrutatoribus videri queat. Idem sic progressu temporis auctus, pondere, vel quod natura semper corruptas partes ab integris separare soleat, cum velamine suo instar maturi cuiusdam fructus, a vesicæ substantia vel prorsus vel aliqua ex parte facile abscedit, vel si magis versus exteriora vesicæ, aut partem ano incumbentem propendeat, peculiarem sibi sacculum, ab interiori parte, pure quippe excla, pervium efformat.

## §. XXX.

Neque vero huic sententiæ de prima calculorum vesicalium generatione obstatre existimo, quod si facto examine plerumque inclusum minorem & hunc quidem coloris ex flavo rubescētis, corticem de reliquo album habentes, ostendisse perhibeantur. Possunt enim his forre fatis multa aliorum calculorum qui eo caruerint rursus opponi, Fac tamen rem ita se semper habere: cadem huius diversitatis ratio facile apprehenditur, sanies nempe seu materia ex ulcere defillans, sanguinis striis colorata, cui sive a renibus illam arcessiveris, sive in vesica productam statueris, progressu temporis, particulae terrestriores & mucosæ obductæ corticem constituant. Quod tandem attinet ea exempla, ubi calculo in vesica harente, renes simili vel calculosi, vel purulenti saltim comparuerunt, a quibus novum contra haec tenus memorata argumentum desumi queat; ex illis ne semper quidem concludere licet, renura mala vetustiorem habuisse originem, tantum abest, ut iusto inde ratione effici queat, e calculo vel pure renum vesicæ calculum suam traxisse. Sicuti enim renibus nephritide graviore

viore vexatis, in vesica vehementiorem interdum concitari spasmum, qui inflammationem & ulceris in hoc loco patiat, supra monitum fuit: ita hac ipsa vesica vel a calculo vel ab alia causa immixta laesita, cur non idem spasmus a consensu ortus eadem in renibus mala producere & sic calculo originem præbere possit? Sed pluribus hoc de re agere dissertationis angusti termini non patiuntur.

## §. XXXI.

Perquam vero se se nunc commodus offert locus allegandi casum viri de republica literaria olim meritissimi, *Isaci Casauboni*, tristem &que ac memorialibem, cuius passim ab anatomicis & practicis scriptoribus mentio sit & qui in *Mangeti etiam theatro anatomico Tom. I. p. 409. sqq.* & *Boneti speluncero Lib. III. p. 644. sqq.* integer recentetur; unde potiora, & quæ huic tractationi lucem aliquam affundere queant, hic transferam. Duodecimo ante obitum mente, postquam hactenus inmodicam vir egregius dies noctesque studiis operam navaverat, punctoris doloribus inter raciendum & urinæ ardoribus fatigari incipit, noctu praesertim importunis. Invalescunt indies stranguria & dysuria, gravis adeat pectinis dolor, grave ano incumbens pondus, inter meciendum tenetinus, & dolor per totam urethram se extendens, maximus vero in glande; ingens in dorso calor, urinæ ut plurimum pallidæ, cum mucoso sedimento post equitationem vel vehementiorem ambulationem, cum arenosis granis, crassoribus, vel tenuioribus lapillis rotundis. Sexto ante obitum mense in hypochondrio sinistro prodit tumor, primum instar iuglandis, paulatim auctus ad pugni magnitudinem, quo durius manus tractato vesica dolerat vel misericordiebat. Disparat interdum, mox in conspectum redditurus. Paucis ante ultimam horam diebus æger reversus ab itinere quod decimam illa-

rium Anglicarum rheda consecerat, mingit frequentissime, audi dolores, audi stranguria cum dysuria, urinæ cruenta cum sedimento mucolo, quod maxime tenacis & vitrea pituitæ simile aliquid puris admixtum habbat. Invalescit inter meciendum tenesmus, excluduntur calculi exiles quam plurimi. Invadit febris, quæ antea per intervalla occupaverat. Post assumta medicamenta urinæ olidae, turbidæ, instar lixivii profluunt sine levamine; ardor internus molestissimus, calidissimæ urinæ; dimidia lotii pars mucus, aliquando quicquid redditur mucus est, tam tenaciter cohærens, ut vix divelli possit. Post eius ingenitatem quantitatam redditam inducias ad duos vel tres dies hoc symptomæ dat, nova accessione facta denuo recurrens. Durant hæc ad viginti dies cuna continua febre, urinæ sestore adeo ingenti, ut spiritus oris ipse eum redoleat, donec tandem prorsus labet confessus, ultimum spiritum sex & quinquaginta annos natus reddit. Dissecato cadavere sub extum vesicae sarcoma conspicitur; prostrata quadruplo maiores, quam fert earum natura; vesicæ corpus contractum, spissum, cuniculis quasi exsculptum, quorum cavernulae lapillis infinitis rotundis, scatebant; tumor interius in collo, ad sinistrum latus vesica pervia rotundo foramine, quatuor digitorum apices admittente, in saccum, quæ urina turgens capacitatis erat ad vesicam sextuplæ. Habuit sacculus ille tunicas tres cum vesicæ membranis contianas, spissas ad modum cum insignibus nervis & vasis. Situs talis, ut totam hypogastrii partem sinistram occuparet, instar vesicæ intra peritonæi duplicaturam latitans: figura eius inæqualis, ita ut infra foramen in forma facci pars propenderet plurimum. Vtraque vesica lotio turgens plenisime: ast in additæ fundo, iufra foramen pensile, ingens faburra putris & olidi muci, sive phlegmatis virrei, quod cum tanto

tanto nisu & dolore a misero profundeatur. Vesica ipsa neque ulcerata, neque inflammationis praefe ferens vestigium: addititia interna membrana crosa variis in locis, atque ob inflammationem rubra, livida, nigra, gangrena proxima. Vreteres in vesicam desinebant loco consueto. Ren dexter totus purulentus: fanus sinister.

## §. XXXII.

Habes syndromen phænomenorum, quorum explicatio multorum hactenus clarissimorum in medicina virorum ingenia exercuit. Maximum cunctis monstrum visum facetus vesica adhaerens, cuius productionis rationem plerique non alibi, quam in vi πλευρᾷ insolenti & gravi errore statim a conceptione in hoc subiecto ludente, & quod materiam superfluam in alios usus convertere non sciverit, eam exinde ἔρχονται efformante, repertiri posse existimarent. Mihi ex supra dictis illoram omnium derivatio non valde difficilis videtur. Ostendam id in posterioribus momentis, cum omnia deducere hic non licet. Referendum vero morbum esse inter vesicas exulcerationes, omnia manifesto arguiunt. Adsum causas, proctaristicæ dictæ, vita hactenus pertinacissime sedentaria, noctes insomnes actæ, inde virium diminutio, excretionem suppressio, digestionis negotium male procedens, & mox pessimo consilio longiora itinera equo, rheda, pedibusque confecta. Adebat etas, quam huic malo maxime opportunam esse memoravi, allegatis simul huius rei caussis evidentissimis. Adsum stagnantis in vasis hemorrhoidalibus externis, præcipue in vesica, sanguinis, & hinc productorum ibi spasinorum, abscessuum, ulcerum, lapillorum signa tam significantia, ut non ex aliis haec mala certius cognosci queant. Accedit in progressu febris, antea ob-

leviorem inflammationem mitius affligens, nunc abscessu  
orto aucti, & ob violentiorem corporis motum sanguis  
ex ulcere & lapilli a purulenta materia geniti prodecuntur.  
Adhuc in vesica dissecti cadaveris sarcoma & tumor, in  
collo hærentia, in reliqua parte cavernula lapillos cu-  
stodientes. Verba tam hac omnia sunt luculenta, ut ad  
supra dictorum confirmationem nullum magis aptum e-  
xemplum adduci ad me potuisse putem. Sed restat de  
sacculo dicendum Vnde ergo iste? forte hic responsio te-  
meraria videri queat. Respondebo tamen, ab apostema-  
te intra vesicæ membranas harente, quod affluxu novæ  
subinde materiæ exterioris parietis partim sensim sensim-  
que dilatatum intra peritonei membranas sustulit. Hinc  
enim is ab externo attractu dolor, hinc istud ingens &  
prorsus non aliunde derivandum tenacissimi & coerentis  
muci profluvium, hinc febris ob continuam productio-  
nem purulenta materiæ, semper vexans, temper acrior,  
hinc addititia sola erosa & corrupta post mortem inventa,  
& in huius fundo infra foramen penile ingens faburra  
putris & olidi muci, cœu manifestissimum indicium, ex quo  
olim loco illam colluvies prodierat. Qui enim hanc  
*enfermitatem* a natura errante efficiam statuunt, his phe-  
nomenis quomodo satisfacent? & num bonam eam ma-  
trem in hoc turbato morbi statu mucum tenacem & gra-  
veum contra primas mechanica regulas versus ilia ad supe-  
riores sacculi parietes, ut hos unice distenderet ac erode-  
ret, naturali vesica salva relicta, sustulisse affirmabunt?  
Ne quis vero ingentis huius sacci in eo loco efformatio-  
neum frustra a me excogitari putet, adducam ex Eph. N. C.  
Dec. 1. observationem Exc. D. D. Segeri, quæ ibi decima  
sexta est, & mihi egregie illam genitum confirmare vide-  
tut.

tur. Deprehendit nimis tum is aliquando in exteriori & superiori vesicæ superficie insolitus sinum, magnitudine pugni, quem in membranis efformaverat pus, quod diffusio eodem cum foetore effluebat. Et *Dodonanus* exemplum afferit vesicæ, cuius una membrana ab altera fuit divisa, copioso intermedio pure. *Obs. med. cap. 41.* Neque me quicquam movet ista ascitrix vesicæ in nostro casu crassities, & quod e tribus membranis composita fuerit observata. Quam enim parum explicacione meæ ista obfint, pluribus ostendere ficeret: sed hæc quidem, ceu ex vulgaribus observationibus anatomicis & chirurgicis facile intelligenda, longam hic deductionem non requirunt.

## §. XXXII.

Claudant hanc de exulcerationis vesicæ sequelis translationem sequentes observationses, ex quibus, quam insolita illa interdum pariat phænomena, perspici potest. Primam hoc integrum allegare placet, ceu notabiliorē, & quod præcedenti §. dicta ulterius confirmet. Mulieri per plures menses hypogastrium ita indies intumuerat, ut medici quidem & obstetrics, & quidem non unico, sed plurimo fecerūt gravidam iudicarent; menstrua enim substituerunt, mammæ distendebantur, immo cum postremis mensibus lac interdum effluere viderent, mammaisque rursum flaccescere, abortum metuebant, misera autem undecimo mense tabe consumta mortua est. In cadaveris abdomine putrescente nihil quam humor latus foetidus ad tres vel quatuor libras inventus, atque in vesica urinaria, quæ insigniter intumerat, parte antica superiore tunica exterior disrupta visa est, cum magno ibidem abscessu, pure multo ac foetido subitus scatente, quod intra ambas vesicas tunicas amplum spatiū ambiebat, illæsa penitus tunica

nica interiore. Vterus sine omni labore. Ante annum vac-  
cam emulgens ab ipsa calcitrante circa pubem violenter  
percussa fuerat. *Joh. Helv. Obs. 124.* Altera sit, quod  
vesicæ ulcus in derum illius parietes prorsus erodat, ut urina  
profundatur in abdomen, *vid. Tulp. L. II. c. 2. Severinus*  
*de abscessibus p. 281.* & ita a sciti originem præbere possit.  
*Vid. Dodoneus cap. 34.* Solent denique nonnunquam post  
vesicæ ulcerationem illius membranæ paullatim integre  
abscedere, & hinc urina seu foliacea quædam sedimenta  
fecum ferre, quod in quodam per duodecim annos conti-  
gisse, autor est *Joh. a Belliforti Comment. ad Galeni libr. de*  
*Vrinis p. 81.*

### §. XXXIV.

Dispiciendum nunc denique est, quibus remediis ve-  
sicæ ab exulceratione præservari, aut hac iam facta sanari  
queat. Sed ægrius eiicitur hostis quam non admittitur.  
Quod ergo præservationem attinet, cautela hic necessaria  
ex iis, quæ supra de mali huius caussis dixi facile dedu-  
cuntur. Plurima harum pars a plethora oritur. Nam ex-  
inde uti in aliis partibus, ita in vesica etiam, si huc san-  
guis copiosius feratur, stagnationes, stases, inflammatio-  
nes, spasmi & id genus alia incommoda, quæ ulceri pro-  
ducendo idonea esse demonstravi, proveniunt. Hæc ita-  
que si adesse iudicatur, mature venæctione obviam eun-  
dem est, magis, adhuc, ubi modo recensita symptomata,  
iam urgent. Ac quam late quidem huius remedii in co-  
hibendo maligno hoc hoste usus patet, vel exinde appa-  
ret, quod inuria difficultate, monente iam *Hippocrate*  
*Aph. 36. Sec. VI.* stranguria, haemorrhoidum suppressione  
mixtuque cruento sæpe nil magis proficiat, ipseque calcu-  
lus ex sententia celeberrimorum Medicorum, haud alio  
feli-

felicius avertatur. Non minus auxilio aqua hic promittit, levior præsertim & calida. Diluit enim sanguinem & circulationi aptiorem reddit, stagnationes impedit & tollit, excretiones promovet, spasmos lenit, ipsumque mucum qui variis modis vel ulceri vel calculo ansam præbere solet, incidit, & hunc non minus quam arenulas & lapillos cum urina educit. Vnde etiam sedulo aquæ, calidæ præsertim, potatores renum & vesicæ morbis obnoxii vix observantur: iplarumque aquarum, *νερος ζεχην* salubrium dictarum, quatenus in iisdem malistam egregium solatium asserunt, vires nonnisi in aqua copia querendas esse, passim gravissimis rationibus Exc. Dn. Praeses adstruit. In primis huius remedii frequens usus commendari merentur iis, qui vitam sedentariam agunt, vel corpus vheimerius & crebrius, maxime equitatione exercent: cum in iis ex- & secretionis negotium non satis, in his impetuosis peragatur, ac proinde ibi stimulo, hic freno, atque unde serum perdeperditum restauretur, opus sit; que omnia ab aqua commode præstantur.

## §. XXXV.

Hac sunt generalia auxilia, quibus si probe & opportune uti scias, neque cœni nimis vulgaria contemnenda ea pures, satis securus, magis certe, quam omni pharmaco-polii supellestile instructus, a formidoloso hoc hoste, & quæsi minatur, agere poteris. Eadem senilibus corporibus turiflma sunt remedia, præsertim aqua calida. Nam & humorum acrimoniam temperat, & excretiones promovet, & poros patulos reddit. Quia vero in his acidum etiam in primis viis & alibi abundare & digestionis negotium minus vigore monuit; perquam utilis iis erit usus pulvrum absorbentium, salium digestivorum, & stomachorum, inter quæ postrema primum sibi locum merito vendicant essentia corticum aurantiorum, & elixir balsamicum.

E

Dni.

Dni, Præsidis. Ad sanguinis vero cras in corrigendam adhiberi possunt, quæ hoc titulo nota sunt, tinctura tartari, antimonii acris, succini & alia, maxime vina Hungarica, non uno hic nomine commendanda & commendata ab Ill. Dno. Præside in *Diff. de vini Hungarici excellentia natura & virtute.* Et si alvus officium suum segnius faciat, stimulandus is interdum lenioribus laxantibus, in primis rhubarbarinis, & ex manna, caschia, tamarindis paratis, rieictis omnibus fortioribus.

## §. XXXVI.

Cæterum si ea mala ingruunt, quæ vesicæ exulcerationi proximam originem dare in superioribus ostendi, mature semper occurrit iis remediis, quæ in quolibet eorum, ceu maxime proficia usus comprobavit, & quorum recensio, quum integrum librum exposcat, & pasum a Medicis facta sit, hic a me prætermittitur. Adiiciam tamen quadam de mixtu cruento in vesica orto, & huius inflammatione, quod ea paullo curiosiorem curam efflagitare mihi videantur: ac in illo quidem, præter ea, quæ in eo casu, ubi in renibus vitium est, commendari solent, hic quoque præfutura. Externe discutiendi & roborandi fine Exc. Dn. Præses in primis laudat aquam vulnerariam (Arquebusaden-Wasser) pubi & perinæo applicandam; *Vid. Med. Consul. Ols. supra cit.* Interne vero forte pretium opera hic facere possit decoctum vel infusum arnicæ, in pulmonum lassitudinis tantopere nuper celebrati coptum remedium. Ceterum ne sanguinis grumi in vesica forte reliqui cum muco ibidem harente coire & calculum producere queant; facta consolidatione omnino opus erit aquæ, maxime calidæ, potu, ut sic nocens materia in vesica dissolvatur ac cum urina mature excernatur. In inflammationis casu, iis remediis, quæ in inflammatione reliquarum partium internarum locum habent, pugnandum, maxime ve-

na-

næsectione; externe vero ad stricturam fibrarum vesicæ relaxandam adhibenda cataplasmata emollientia & paregorica. Sed duæ hic in primis observationes necessariae sunt. Nam si inflammatio vesicæ collum occupat, quod communissime fieri dixi, hoc arctius spasmus constringitur, & tum hac de caussa, tum a tumore, urina excretio impediri solet. In eo ergo casu anceps valde curatio redditur, quia & potus, in inflammationibus internis tantopere ægitis expeditus & utilis, parcus concedi debet, & urina, si forte iam copiosius ibi hæreat, gravissimum periculum ciere valet, nisi viam inveniat: quæ itaque quo cunque modo illi patescenda est. Cum vero catheteris nūs hic minime locum habeat, suadent auctores perinæi puncturam instituendam. Vid. *Exc. D. D. Heisteri Chirurg. p. 648.* sqq cui tamen ipse puncturam supra os pubis iuxta lineam albam præsert, & præferri omnino debet, quod illa prior, quacunque ratione peragatur, cum in ea vesicæ collum vel proxima lœdantur, malum sine dubio exacerbatura erit.

## §. XXXVII.

Quodsi vero staseos discussio obtineri nequeat, in abscessum morbus transit, vel alia graviora mala. Ille, qui solus medentium curam admittit, successisse inflammationi cognoscitur, si febris & reliqua symptomata post dies aliquot non remittunt, immo gravius urgent, pondus etiam quasi in pubis & perinæi regionibus sentiatur. In curatione prima utique febris ratio habenda est, sique illa vehementius sœviat, pulvres temperantes, iulepi refrigerantes, emulsiones ex semiñibus quatuor frigidis & citri huiusque succus: si lentius agat, alexipharmacæ temperata, præsertim essentia Dn. Præsidis hoc nomine laudata, locum inveniunt. Spasmodorum vero & dolorum violentiam nil quicquam præter spiritum eiusdem anodynum promptius coercet: laude tamen sua non prolsus carent essentia croci vel castorei, trochisci alkekengi cum opio, sperma

ceti & alia. Externe supra laudata, & in his axungia humana, pinguedo castorei, unguentum dialthæz, populinis, oleum hyperici, verbasci cum croco proficiunt. Quæ antea de urinæ suppressione & potu hinc parcius præbendo monui, hic quoque observanda sunt. Sed novum incommodum accedit, novas cautelas poscens. Omnino enim necesse est, ut apostema mature aperiatur & pus e vesica derivetur, quia alioquin mora acrius semper hoc redditum, graviorem exulcerationem, fistulas aliaque pessima symptomata parit. Raro autem sponte sua, nisi danno Jain facto, disrumpitur, & excretionem vel ipsius puris tenacitas, vel tumor adhuc subsistens, interdum impedit. Pro utroque scopo obtinendo, inieccio lactis tepidi tentanda est, ac si parum illa proficiat, ad ultimum auxilium, cultrum confugiendum & perineum dissecandum eo in loco, ubi sectio calculi cum magno, quem vocant apparatu, peragi solet, vel methodo *Fraoris Jacobi*, sed a *Ravio* emendata, de qua vid. *Cel. Heisteri Chirurg.* p. 642. sgg. Praestat enim rebus ita desperatis anceps quam nullum remedium experiri. Satis sic tamen probatum illud in eo casu esse, binis exemplis, e *Riolano* de promis & omnino attentione dignissimis, docet *Bonetus L. III.* p. 634 sgg. In feminis vero vix unquam necessitas tum huius tum antec. §. memorati auxiliū ulim requiret & satis tuto catheter adhiberi poterit, cum & vesica orificio magis amplum illæ habeant, & liberior ad eam accessus pateat. Ceterum ruptione facta, sive a natura sive artis ope, ac expurgato probe ulcere, curatio iis remedii peragenda est, quæ nunc eeu in omni exulceratione vesicæ celebrata, strictim tamen recensabo.

## §. XXXVIII

Pertinent ergo huc 1) abstergentia, & traumatica le-  
moria, e vegetabilium regno desumenda, ac in forma deco-  
cti

eti, infusi, vel succi aut syrapi adhibenda. Ex animalium vero regno hic referri in primis possunt, sanguis hirci exsiccatus & sperma ceti, quod posterius sanguinis grumis in vesica haerentibus resolvendis & spasmis leniendis per quam idoneum remedium est. 2) Gelatinosa, viscosa, balsama temperatoria, e.g. Gummi tragacanthum, Arabicum, sarcolla liquiritiae succus, semini frigida, mastix, resina laricea, abietina, terebinthina, vitellum ovi in bolos, pilulas, trochiscos, emulsiones redigenda. Qua de causa hic in primis commendandi sunt trochisci alkekengi, utpote ex plenisque horum compositi. it. troch. de Karabe, de terra sigillata. 3) Magnus & varius hic lactis usus esse potest. Lenit enim dolores, urinæ acrimoniam temperat, abstergit & consolidationem iuvat. Cavendum tamen ne acido in primis viis abundante oblatum, plus damni quam solatii adserat. 4) Alvi probe semper ratio habeatur, quia tum facibus & flatibus diutius hic commorantibus, tum etiam a frequentiori excretione vesica varie perturbari potest. Ad externum usum varia ab auctoribus commendari solent: injectiones ex lacte, decocto hordei, succis detergentibus, melle, aqua chalybeata, cum vel sine pulveribus glutinantibus, adstringentibus & aliis. Quæ tamen omnia hac §. recensita multaque alia huius generis, quarum prolixam enumerationem instituit, *Platerus in prax. Med. Tom. III. p. 776.* eti sua laude non sint defraudanda, plus sepiissime tamen promittere, quam re ipsa praestare observantur. Quare sequentes adhuc cautelas adiiciam, iisque hanc dissertationem finiam.

## §. XXXIX.

I. In exulceratione vesica magis opera danda, ut sanguinis via corrigitur, viteque ratio, qua id malum foretur, mutetur, quam externis remediis pugnandum est. Solent enim sic saepius ulcera alia pessimi moris sponte fa-

nari; in recenti tamen ulcere externorum, nunquam certe  
prosrus tpernendorum, usus esse maior potest.

II. Si exulceratio orta est a calculo in vesica harente,  
hoc non remoto curatio frustra suscipitur.

III. Sine convenienti vita regimine, cibis boni suc-  
ei & aquæ sufficienti potu, omnis alia medicatio irrita est.

IV. In hoc malo neque vitam nimis sedentariam & o-  
tiosam agere, neque corpus vehementius exercere decet.

V. Inter præstantissima remedia aduersus vesicæ ulce-  
rationem & ad calculum avertendum aquarum salubrium  
usus censeri debet. Laudat in primis Spadapas *Hevr. ab  
Heer Etulpius* deploratum vesicæ ulcus, omnibus aliis frustra  
adhibitis, iisdem debellatum tandem suisse refert, *L. II. cap. 53.*  
In graviori tamen exulcerationis casu vitandæ sunt, quæ  
nimiam salis copiam secum vehunt. Vid. *Diss. cit. de Curat.  
calculi.*

VI. Nocent in hoc affectu vina omnia acida, austera;  
moderatus vero dulcium, in primis Hungarici, usus, non  
modo non nocet, sed egregie prodest. Vid. *Diss. cit. de  
Vino Hungar.* & meretur hic allegari locus ex *Aetio serm.  
XI. c. 22.* de scabiosa vesica: *a mordacibus igitur Et quo  
humores acres ac saffiores reddunt abstinentiam. Exhibenda au-  
tem vina dulcia, lac Et gallinæ, aut hædorum aut agnello-  
rum iuscula.*

VII. In senibus nunquam vilia remedia putentur, quæ  
supra illis ad qraservationem commendata sunt. Sanc potis-  
sum iisdem curationis quoque momentum absolvitur.

VIII. Non parum solatii atque auxillii in hoc malo a balsamo  
Vita Dn. Præsidis exspectari debet, si in vesicam iniciatur; de cu-  
ius usu in gonorrhœa inverterata, prostratis hisque vicinis partibus,  
exulceratis, vid eiusd. *Med. Conf. Part. III. p. 239.* Eundem enim  
quoniam vesicæ præstare possit, non est dubium. Ne vero in hac nimium  
ardorem excitet, eius vis adiecto infuso herba theæ  
non nihil poterit temperari.


FINIS.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO  
S. D. P.  
FRIDER. HOFFMANNVS  
PRÆSES.


**E**xquisitiorum corporis humani eiusque structuræ notitiam, firmissimum universæ Medicinae fundamentum esse, nemo sane negabit; nisi qui ex artis ignorantia eius oris existit, aut inquiende veritatis tedium captus, fictionibus vanisque speculationibus mirifice delectatur. Quum enim gravissimus noster parens HIPPOCRATES dudum iam monuerit: oculis magis credendum esse quam opinionibus; tutissime utique ars medica fulcro anatomice scientia, quæ oculos tantum admittit & manus, innititur, eoque reuerso, nutat, pericitat & tota denique corruit. Et sane tam eximia tamque diffusa est utilitas, quam anatomia huic quæ saluti mortalium invigilat arti conciliat, ut nemo unquam feliciter eiusdem exercitio manum adinovere queat, qui non curarius cuiusvis partis situm, fabricam, artificissimam coagmentationem, officium, usum & admirandem cum aliis membris connexionem noverit. Nihil iam proferam de incrementis que rei medicæ per tot præstantissima inventa ex anatomæ cultura acceſſerunt,

6115

runt, sed ad incomparabilem eius utilitatem inculcandam  
satis erit, si dixerim, anatomicae scientiae quicquid in arte  
nostra rationale est acceptum esse referendum. Etenim hæc  
vitæ & mortis, sanitatis & morborum non obscuras, sed cer-  
tas atque perspicuas causas tradit, hæc symptomatum ori-  
ginem & complicationem dilucide monstrat, hæc denique  
damnata empiria, omnium optimam medendi rationem sub-  
ministrat & ad citam, tutam ac iucundam curationem com-  
pendiosam pandit viam. Ast, quid opus est verbis ubi  
rerum testimonia adsunt? Ipsiæ hec Tua NOBILISSIME  
DOMINE CANDIDATE dissertatio huius rei veri-  
tatem adstruit, in qua nihil auctoritate alius motus prece-  
ario afferrebat, sed ex intimis viscerum & corporis humani  
mechanismo argumenta eruisti, iisque veritatem quam  
tueris demonstrare laudabiliter annifus es. Gratulor ita-  
que de honoribus industriae Tuæ propositis, & ut Divinum  
Numen hos Tibi felices esse iubeat, omnesque Tuas res, cona-  
tus atque labores ex voto semper in manus ac melias pro-  
vehere velit, intentissime precor. Vale, Dab. Prid.  
Non. Mart. clcccxxiv.







ULB Halle

002 106 272

3



5b.



**Farbkarte #13**



75  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**EXULCERATIO-**  
**NE VESICÆ** 1724.20.  
*QVAM*  
**PROPITIO NUMINE DIVINO**  
SUB PRAESIDIO  
**DN. FRIDERICI HOFFMANNI**  
ORDINIS MEDICI SENIORIS ET h. t.  
DECANI  
D. IX. Mart. Anni M DCC XXIV.  
**P R O L I C E N T I A**  
H. L. Q. C.  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTET  
RESPONDENS  
**IO. IMMANUEL ZINCKERNAGEL**

SONDERSHUSO - SCHWARTZBURGICUS MEDICINÆ PRACTICUS  
ET PHYSICUS GREUSSSENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typ.

